



Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

4. Conclusio. Confeßio vnius socij in maleficio contra alium, est sufficiens ad inquirendum in criminibus exceptis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

Marsil. in consil. Criminal. consil. 22. & 109.
 num. 11. & in L. 1. §. D. Antoninus. ff. de q. & la-
 tē in praxi criminali. §. Diligenter, a num. 59.
 Ludouic. Roman. in consil. 154. Bald. 1. vol.
 consil. 95. Conrad. Lancilott. in tractat. de of-
 fic. prætor. in criminal. in tit. de negatione cri-
 minis & tormentis, num. 23. Albert. Gandinus
 in tractatu maleficorum, in Rubr. de quæstio-
 nibus & tormentis: & hæc est communis sen-
 tentia, vt tradit Iul. Clarus lib. 5. sententiarum.
 §. fin. q. 21. vers. Sed quid in criminibus excep-
 tis. Idem confirmo ex definitione & differen-
 tia indicij leuis & grauis, secundum praticos.
 Leue est, cui contingit frequenter abesse veri-
 tatem. Graue, cui contingit frequenter adesse
 veritatem. Sed maleficorum denunciatio-
 nibus non solum frequenter, sed aut ferè sem-
 per, aut semper contingit adesse veritatem, vt
 Iudicum experientia & processibus constat,
 ergo denunciatio malefici contra socium fa-
 cit indicium graue: quia cui competit defini-
 tio, competit & definitum.

4. Conclusio. Confessio vnus socij in
 maleficio contra alium est sufficiens ad in-
 quirendum in criminibus exceptis.

PROBATVR. Confessio huiusmodi ali-
 quem habet effectum, vt constat ex dictis.
 Ergo ad inquirendum: cum per se nõ sufficiat
 ad tor.

ad torturam, imò in non exceptis tradunt Doctores nominationem socij efficere, vt Iudex possit inquirere: quantò magis in exceptis? Deinde nostram Conclusionem tenent communiter Doctores, vt docent Clarus loc. citat. vers. Retenta ergo communi Conclusionem. Et ante hunc Ludouic. Romanus in L. Et si certus. ff. ad Syllan. Augustin. ad Angelum Aretin. in tract. malefi. in verb. Fama publica, n. gi. Roland. in cons. 73. lib. 1. & alij alibi.

Ex hac Conclusionem sequitur, quod Iudex habita confessione vnus malefici contra participem criminis, debet cautè inquirere circa nominatum & conuersationem, & indagare an alia reperiantur indicia.

5. Conclus. Confessio socij contra complices & participes in crimine, in maleficorum scelere, si aliam habet presumptionem adiunctam, vel indicium, aut indicia, facit indicium ad torturam sufficiens.

PROBATVR Conclusio ex Gloss. & Saliceto in L. fin. C. de accus. vbi Salicet. dicit in exceptis talem confessionem siue nominationem secundum Doctores facere indicium ad torturam, quam ipse moderatur ex Gloss. citata, si talis nominatio sit cõiuncta cù alia præsumptione: & hanc doctrinam Saliceti Doctores in praxi sequuntur, vt testatur Iulius Clarus in q. d. &

q. d. &